

Christoph Behr

Rector Et Professores Athenaei Gedanensis Ad Supremum Pietatis Officium Viro Noblissimo, Amplissimo Et Excellentissimo Domino Christophoro Behrio, Dicti Athenaei Eloquentiae Et Poes. Professori Optime Merito, Nuper A. C. MDCCIV. D. X. April Placidissime Defuncto, Hodierno Die Mensis Ejusdem XXV. Quo Exequiae Funeris Christiano Ritu Fient Persolvendum Studiosam Juventutem Invitant

Gedani: Stollius, 1704

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817975144>

Druck Freier  Zugang



[Blank yellow label]

Hb
9¹⁻¹²

Hb - 9¹⁻¹²

GEBUNDEN BEI
W. SCHORNACK
ROSTOCK 1/M.
GRÜNER WEG 5.



RECTOR ET PROFESSORES

ATHENÆI GEDANENSIS

AD SUPREMUM PIETATIS OFFICIUM

V I R O

NOBILISSIMO, AMPLISSIMO ET EXCEL-
LENTISSIMO

DOMINO

CHRISTOPHORO

BEHRIO,

DICTI ATHENÆI ELOQUENTIÆ ET

POES. PROFESSORI OPTIME MERITO,

NUPER

A. C. MDCCIV. D. X. APRIL

PLACIDISSIME DEFUNCTO,

HODIERNO DIE

MENSIS EJUSDEM XXV.

QUO

EXEQUIÆ FUNERIS CHRISTIANO RITU FIENT

PERSOLVENDUM

STUDIOSAM JUVENTUTEM

INVITANT.

G E D A N I,

Typis JOHANNIS ZACHARIÆ STOLLII.

ATHEN. TYPOGR.

Dura fata! Virum amissimus Pietate, Candore ac multa Eruditione celebrem, inque Rempublicam literariam & juventutis incrementa optimè meritum; Virum omnibus gratum amissimus, subitanè morte spe citius nobis ereptum. Fuit ille, dum viveret, *Vir Nobiliss. Ampliss. & Excell. Dn. CHRISTOPHORUS BEHR, Athenai hujus Eloquencia & Poes. Professor celeberrimus*, qui sui virtutum multarum ornamento amplam relinquit memoriam. Annitendumne ut eam conservemus, longioreque luce posteritati tradamus? ancipites nos redderet, si scrupulosam Lycurgi censuram obstare vellemus, qui defuncti nomen tumulo adscribi vetuit, nisi esset, qui fortiter pro patria occubuisse, & operam in bello Reipubl. navasset. Quà verò sententiã in aliorum gloriam nihil contemptibilius & nihil inclementius dici potuit. In tam diversa mortalium conditione, quis non latiore virtutis campum daret? quis excellentium merita cum morte suffocaret? si ipsam illustria, ut ad immortalitatem penetrent. Nam & quibus artibus inclauerunt mortui, vivis in cupiditatem ejusdem gloriæ cedunt, & qui illustri ac splendido genere se natos esse sentiunt, ad summa nituntur, ut majoribus plus dignitatis afferant. Quid quod inter homines ita sæpè comparatum est, ut ambientibus inter illustres honor non detur, nisi qui avitum nobilem sanguinem trahit, quod nemo ex fronte videbit, nisi deducatur ab asservata memoria. A Lycurgo itaque sit istud pro lege Lacedæmoniis dictum. Qui in humanitatis Officina sunt leniùs tincti, semper existimarunt religionis esse, mortuis, post vitam benè consummatam, monumenta exstrui, ac vicissim illos denegatâ traditione supremorum, gravi injuriã affici. Vita *Beati Nostri* non latuit, sed sui præclara signa dedit. Non solo ætatis decursu gavisa, quo senibus nihil turpius, sed alia laudis argumenta habet, quæ duraturæ memoriæ inscribi merentur. Hoc in ipsum Pietatis officium nunc exsolvamus quoque, ac quidem magna veritatis fiducia, qui adscititio commendationis ornatu nullo indigemus. Vidit *Nostrium* vitales has spirare auras *Gedanum Anno post millesimum sexcentissimum quadragesimo secundo die septimo Julii editum Patre Christophoro Behrio mercatore florentissimo ibidem, & Matre matrona sui sexus ornatissima Elisabetha Mayerin, Georgii Meyeri Civis & Negotiatoris Gedanens. ac Margaretha Drengalsin filia. Avum Paternum habuit Georgium Behrium Assessorem Dicafterii apud Thorunenses longè meritissimum, Aviamque paternam Catharinam Thammin, Primâ genitorum suorum curâ statim post nativitatem Sacro fonte Regenerationis initiatus, & à prima infantia in pietate educatus fuit. Postea, ut adolescente ætate aliorum studiorum ageret fundamenta, nomen suum Scholæ Marianæ dedit, in qua, dirigente Rectore Jac. Zetzkiō brevi tempore ita profecit, ut cum laude Athenæum nostrum posset petere. In castris ejus strenuum se gessit militem inter Antesignanos eo tempore celeberrimos D. Joh. Maukischium, D. Laur. Eichstadium, Lic. Christ. Rosteuscherum, Joh. Petr. Titium, Georg. Neufeldium & Wolffg. Rosteuscherum, inter quos, ob indolis suæ præstantiam & mores compositos, inprimis amorem & benevolentiam Prælaudati Titii expertus est. Ejus enim commendatione speciali junctus fuit contubernio Bartholdi Cornel. à Lüzow, privigni Viri Generos & maximè Strenui Valentini à Winter, militum Præfidiariorum in hac urbe Colonelli fortissimi, ut ejus studiis privatâ suâ industriâ adjumento esset. Ex his Patriæ Scholis non sine eleganti apparatu variæ literaturæ, inprimis Latinitatis in prosa & ligata, Philosophiæ & Historiarum discessit tandem, & cum dicto Lüzovio comite 1664 bonis avibus salutavit Academiam Rostokiensem. Invenit ibi Emporium Sacrarum & Civilium scientiarum, qui, ut jam excoleret ingenium in sublimiorum literarum facultate, Philologiæ & Theologiæ studio se mancipavit, inque illo intentius militare cœpit sub ductu Laurentii Laurenbergii, & Georg. Morhoffii, in hoc autem sub auspiciis Excellentium Theologiæ Doctorum Aug. Varenii, Henr. Mülleri, Joh. Quistorpii Jun. aliorumque. Neque seposuit Philosophiæ studium, sine quo ad alios reconditos sapientiæ thesauros difficulter perveniri posse, satis gnaviter intelligebat. Utebatur autem in hoc studii genere*

Præce-



Præceptoribus Wasmutio, Beckero & Dringenbergio Philosoph. Magistris solidissimis, quos strictim ac eruditè docendo, subtiliterq; disputando magna cum animi delectatione audiebat. Atq; tunc etiam in Matheseos studio sese gnatum & avidum auditorem exhibebat. Post biennium ibi exactum, nempe 1666 tristi nuntio de obitu matris Luzovii ambo illi sodales domum revocabantur, ubi dum Luzovius exfunere matris occupatus, interea iter Regiomontum *Noster* suscepit, non animo ibi subsistendi, sed in notitiam virorum doctorum perveniendi. Unde cum brevi se expedivisset, Almam Rostokiensem solus repetiit, & adhuc per integrum annum studia sua ibi continuavit. Animus ardebat alias Sapientiae Scholas ingrediendi, & præ aliis Viadrinam. Hinc eo contendit 1667. famâ permotus Jctorum consummatissimorum de Jena, Decheri ac Brunnemanni. Tulit verò fors Divina, quod, cum innotuisset Viro Magnif. ac Generoso Dn. Sigismundo de Fürst & Kupferberg Reip. Vratilav. Senatori & Hereditario in Albrechtsdorff, ab eo ex dicta Academia, ut generosam sobolem suam in fidem ac institutionem suam reciperet, Vratislaviam vocatus fuerit. Putavit statim huic nutui Divino assurgendum esse, hinc haut cunctatus se contulit ad illud Silesiæ Caput bonæ spei. Exceptit eum Mæcenas suus non tantum benevolè, verum quoque immutato favore dignatus est, &, quod grato animo deprædicavit semper, benevolentiae signa ei exhibuit ultra, quam se mereri credebatur. Factum hinc, quod sua commendatione notus redditus & simul liberior accessus ipsi indultus apud viros famâ & meritis Illustres Dn. de Hoffmanswaldau, Lohensteinium & Alb. Sebifium, quo postremo præfulgente, qui in mathematicis scientiis vir erat versatissimus, hausta in Academiis Matheseos principia cœpit solidiùs excolere. Tot Patronis nunc adjutus, potuisset apud externos varia occasione fortunæ suæ larem constituere, nam & Vratislaviæ ad subsistendum ipsi nihil amplius obstabat. Verum prævalebat amor Patriæ, in quam, à suis Patronis bona gratia dimissus, regressus 1673. Hic redux ante omnia de futuro vivendi genere cogitavit, ac cum maximam operam hæcenus in humaniores literas contulisset, maluit eas præ reliquis studiis etiam in futurum excolere. Hoc propositum juvit benevola vocatio, quâ à Magnifico Patriæ Senatu ad vacantem Rectoratum in Ludo Catharinæo promotus, nempe 1674. Qua fide & industria hoc munere functus sic, dicere non attinet, cum illud vivo testimonio in gratitudinem, qui quondam sederunt ad pedes ejus, lubentes testentur. Unicum videbatur deesse *Nostro* in solamen curarum, & quod jacturam amissæ matris, quæ hæcenus rei suæ oeconomicæ præfuerat, & jam piè decesserat, sarciret, nempe ut sociam sibi quæreret. Quam invenit in Virgine Nobilissima singularique prudentiâ ornata *Florentina* Georgii Franckenbergii Civis & mercatoris integerrimi filia, cum qua 1683. sponsalia & mox secutas nuptias ritu solenni celebravit. Concors ac felix fuit hoc conjugium, sed post duos annos 9 menses & 5. dies intercedente obitu svavissimæ hujus Conjugis improle finitum. Exeunte luctu vota conjugalia repetiit, & 1689 cum Virgine non minori laude nominanda *Christina* Benedicti Bischoffii negotiatoris filia secundum ac svave consummavit matrimonium. Interea eum fama commendaverat, ut exteris dignus videretur ad docendam Mathesin, qui, si ad sollicitationem multis favorabilibus conditionibus conjunctam magni cujusdam Patroni assurgere voluisset, ad Professionem Matheseos in illustri Rigenfium Gymnasio obeundam 1685. promoveri potuisset. At ille nondum mutaverat animum, qui erat subsistendi in Patria. Et qui locum mutare debuisset, cum Patriæ suæ valde charus esset? Triennium non dum erat elapsum, cum novam spartam ei offerret Magnificus Senatus non illâ extraneâ minorem, sed parem, si non digniorem. Declaratus erat 1688. Honorarius Professor de Athenæo nostro Senex emeritus Joh. Petr. Titius, & ne munia ejus vacarent, publico decreto collata fuit Professio Eloquentiæ & Poeseos *B. Nostro*. Agnovit hoc ipso magnum erge se favorem Civitatis Procerum, sed agnovit simul cum novo honore gravius onus humeris suis impositum esse. Ad hoc exantlandum ab eo tempore nihil sibi duxit religiosius, quam ut maxima dexteritate hos fasces tueretur. Hinc interdum

diū pro Juventute laboravit, nocte vigilavit & aliis intervindo sese ipsum consumpsit. Incommoda nulla timuit, & in discentium commoda indefessus fuit publico privatoque labore. Cives Studiosos paterno more prosequatur, laudabat bonos excitabat negligentes, contumaces minis territabat. Neque his fidei documentis poterat vivere contentus, nisi & aliorum desiderio respondisset. Nam, ne judiciosas suas meditationes solus possideret, aut invidè occultaret, eas divulgavit publicè, aut, quas ex modestia nondum edidit, in lucem divulgandas reliquit. Extat ingenii ejus fœtus sub titulo *de Muris Urbis Romæ*. Item extant, *Rivi Pliniani* s. *Imitatio*. è *Plin. Panegy. deduct. ad Res temp. nostr. accommod.* Extant *Agones in Plin. Panegy.* Reliquit in schedis Tractatus cum multo usu edendos *de Romanorum Legatis*, it. *Chronologiam in Justin. s. Res. ab Historicis Classic. traditas cum perpet. earund. per gentes singul. Synchronismo*. It. *Origines Gent. ad Justin. Histor. maxime pertinent.* Nec non *Thermas Carolinas Carmin. Elegiac. conscript.* Ex his suis meritis surgit erga ipsum æstimatio non civitatis limite inclusa, sed foris nata. Tanti eum fecerunt viri docti, eosque inter præcipuè nominandi Schurtzfleischius ac Cellarius, ut viderentur jucundo literarum commercio de amicitia ejus contendere. Ideò de eo verè dici potest, quod Seneca in consolatione ad Polybium: *Id egit ipse, ut meliori sui parte duraret, & compositis Eloquentia præclaris operibus à mortalitate se vindicaret. Quamdiu fuerit ullus literis honor, quamdiu steterit aut Latina Lingvæ potentia, aut Græcæ gratia, vigeat cum maximis viris, quorum se ingenio vel contulit, vel, si hoc verecundia ejus recusat, applicuit.* Expertus tamen etiam est iniquam fortunam, nam alteram ejus conjugem 1691. d. 2. Martii mors rapuit, & domesticos fletus attulit ac acerbos mœrores. Quanquam in his adversis se ita compositum tenuit, ut sine murmure Dei voluntatem agnosceret. Cujus providentiam sequenti anno ex alio hilariori sidere addiscere potuit, quo sibi tertia sponsa ac conjux data, quæ erat Virgo virtutibus omnibus quæ sui Sexum decorant maximè commendata *Elisabetha Demuth*, filia natu minima Joh. Petr. Titii, Eloqv. & Poes. P. Athen. hujus maxima laude etiam post mortem honorandi, qui idem fuit Antecessor *Nostris*, ejusdemque Præceptor, Fautor & Collega, tandem post fata Socer de venerandus. Hæc tertia Conjux nunc vidua, multo dolore ac tristitia afflicta, optimi mariti dispendium deplorat, suique desiderium exhaustis oculis testatur. Atque ad has metas pervenerat *Beatus*, nec destitisset progredi. Sed supremum vitæ momentum instabat. Erat Dominica Misericordias Domini dicta, quæ vegeto animo & corpore intererat Sacris, post quoque prandium cum appetitu petiit. Eo sumto recessit paulisper in museum, ut pio more suo devotis meditationibus indulgeret tantisper, donec rediret ad publicum Diei Sacræ cultum. Cum autem solito diutius ibi permansisset, vocandus videbatur, ad quem cum missus venit, eum semianimè, paralyti affectum, & in terram prolapsum lamentabili aspectu offendit. Sui cura statim experientissimis Medicis demandata, qui recuperandæ valetudini omnem attulerunt operam, ac Medicinæ virtute fractæ quoque menti aliquem vigorem restituerunt. Sed malum corporis indies invaluit, quod ejus totale naufragium portendebat. Jacuit ita languidus usque in diem 10. Mensis Aprilis, quo tandem inter nonam & decimam antemeridianam Deo, cui hætenus vitam debuit per annos LXI. & menses IX, cum magno circumstantium dolore, extremum spiritum animam suam reddidit. Mors ejus tanto acerbior existit, quanto utilior vita sua fuit. Lugent eum Conjux, Cognati, Patroni, Collegæ, Familiares & qui non alii, qui jacturâ viri cordati & amabilis non parum se afflictos sentiunt. Sed Deo placuit dissolvere Vitæ vincula, ut anima educeretur in tutum portum æterni gaudii, corpori verò tot laboribus & vigiliis lassato usque ad reconjunctionem cum anima esset placida quies & tranquillitas, in quo Divino Decreto meritò subsistendum. Nihil dignius præstari nunc poterit, quam ut exanimatum corpus *Beati* ad tumulum usque comitemur. Et Vos, Athenæi nostri Cives Nobilissimi Politissimique, ut idem faciatis, & exequias Doctoris de vobis optimè meriti decora frequentia cohonestetis, peramanter invitamus & rogamus. Contestabimini pium affectum erga illum, & postrema hæc gratitudine in vos collata ejus beneficia rependetis ex parte. Hoc officium cedit in solatium mœstorum, & in gratam vestrorum recordationem apud illos, nos verò eo promptiore affectu erimus erga vos orani occasione, qui, ut Divinum Numen novo & in studia vestra excitatissimo Professore vos iterum recreet, pio animo rogemus. P. P. ipso Exequiarum die XXV. April. M DCCIV.



[Faint, illegible text on a small paper label affixed to the spine area.]

stituerent, in quibus formaretur in provinciis iuventus,
 manisque institutis ac legibus imbueretur. Atque hinc Fl.
 spasianus Imp. luculenta primus Latinis Graecisque Rhetor-
 us constituit stipendia, quae post eum philosophis quoque
 Antoninus decrevit. (d) Constantius Chlorus Imp. Eu-
 nium Rhetorem ex aulae luce in scholae umbram lautissi-
 o stipendio misit, ut Maenianam scholam, Bagaudico tu-
 ultu vastatam restauraret. (e) Julianus Imp. apostatae no-
 ne notabilis, cum aegre vellet rei facere Christianae, Christia-
 rum occludebat scholas, scriptoresque profanos explicari pro-
 cebat, ne ex hisce superstitione pagana absurdae impietatis ar-
 eretur. (f) Neque vero eius rei causa fuit, quod provide-
 prudens Imperator gliscens iam iniquitatis mysterium, &
 tantum mali Ecclesiae atque reipublicae immineret ex ma-
 rorum disputationibus, quod peruerse tradit aliquis Oron-
 . (g) Justinianus Imp. cum magnos in templorum sub-
 uctiones sumptus conferret, eosque ut colligeret, stipendia
 rtium Magistris detraheret, factum est, ut scholae
 uerentur, & rusticitas dominaretur, quod Zo-
 didit Jo. Avrowsmith. (h) Sub idem tempus bar-
 , qualesdum Romanis erant, Germani omnes,
 omanorumque prouincias, Hispaniam, Galliam
 que, inuaserunt & occuparunt, scholasque oppres-
 gnauit hinc barbaries per longum seculorum de-
 n alibi, tum in Germania imprimis, donec Frid-
 V. potius aevo literae renascerentur, & passim con-
 ademiae, Graecique exules literas Graecas Italiae
 Lux literarum uti occasionem praebuit desideratae
 formationi, ita haec illarum auctus & ornamenta
 Lutherus enim nugae scholasticas non improba-
 eiecit; Sed Germaniae quoque in oppidis, qui fu-
 stratus, grauitate cohortatus, scholas ut erige-
 neque adeo uti de religione, sic de literis etiam me-
 eque enim dubium habet, quin maiori studio at-
 u literae ac disciplinae fuerint excultae in scholis at-
 uis, emendata ubi obtinuit religio, quam Romani
 ecretis ubi sunt addicti, Galliam si exceperis, quae
 ficis ceruicem penitus nunquam submitit, & vel
 e reformationum, quos diu ciues habuit, excitata fuit.
 haec Quedlensis ciuitas, cum reformationis vrge-
 duas scholas, alteram in veteri, alteram in noua urbe,
 prima femina emendatae religionis a Rectore, Leo-
 ne, sparsa sunt.

in V. Vespas. c. xliii. Casaubon. in h. l. p. 553. e) Panegy. Veter.
 e est Eumenii pro restaur. scholis p. 55. l. edit. Cellar.

r. Io. Petr. Ludwig Diss. de edicto Iuliani contra philosophos Christia-
 al. 1702. nostra obi. in Miscell. Lips. To. IV. p. 195. g) Unpartheische
 ncken von der alten und neuen Gelehrsamkeit / p. 27. h) Tactic.
 . 344. i) To. II. Altenb. p. 804. *) Hallbauer Diss. ecclesia Luth-
 olitoris literaturae patrona, Jen. 1717.

